



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Daniel Abb. 21. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ubi sub primo papæ! neque mentiri scitè didicistis.
 Io! Innocentia triumphæ, nunquam patrono cates.
 At vos capulares Veneris columbos jam lapidan-
 tium manus palpabunt. quid saxa, quid moras tra-
 hitis? obruite eja improbas Cupidini victimas. E-
 pitaphium ego dabo. SVB SAXIS AMOR HIS IA-
 CET SEPULTVS, Ex Dan. ipso.

*Differunt quidem inter se homo pudicus & An-
 gelus, sed felicitate, non virtute: ille castitas feli-
 cior, huius tamen fortior esse cognoscitur; sola est ca-
 stitas, qua in hoc mortalitatis loco & tempore sta-
 tum quendam immortalis gloria representat. S.
 Bern. ep. 43.*

S. DANIEL ABB. 21. Julij.

Impetraverat à Deo DANIEL heredem viro;
 quo cum illi hospitij familiaritas intercesserat.
 Itaque hic eum patronum, at malevoli patrem
 etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pro-
 nuntiavit Innocentia altera. Infans nuper natus,
 qui iussus à DANIELE patrem palma edicere, di-
 gito in verum parentem conjecto, *Hic agebat, pater
 meus est*, atque ita simul patronum suum absol-
 vit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub
 hæc cum DANIEL Eulogium latonum cerneret
 in egentes præ aliis pium, precari apud Deum in-
 stitit, plures opes submitteret tam bene prodigo.
 Et annuere DEVS est visus si pro Eulogio sponde-
 ret, divitias fraudi, morum integritati non futu-
 ras. Convenit, spondit DANIEL. Igitur Eulo-
 gius cum saxis thesaurum eruit, ad aulam abit,
 honores mercatur, struit palatia, emittit mancipia,
 splendide ac lautè victitat. Adest DANIEL of-
 ficij sui amicum commonefacturus, sed surdam
 ad pauperis vocem januam reperit, verberibus
 pro

pro stipe oneratus. Anxius proinde cum à CHRISTO crucifixo exsolvi vadimonio postulatet, annuit Filii nomine MATER MAGNA, mox etiam ipse FILIVS, eâ lege ne simile posthâc vadimonium faceret imprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in latomias suas postliminiò devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & unâ virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam male, o Divites! vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. Ex Pet. de Nat.

Proxus beati pauperes Christi, quorum fides se elusit sapientiam mundi, ut soli, quis sit optimus divitiarum usus, invenerint, quod videlicet divitiâ pauperem faciant, si diliguntur; divitem & beatum si pro Christo contemnuntur. Gueric. l. cum de omn. SS.

S. WANDREGISILVS C. 22. Iulij.

EXemplo in paucis memorando WANDREGISILVS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina curruin rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risere scilicet aulæ mancipia, cum principem animum in cœnum abicere se viderunt. At intempestivos cachinnos castigavit DEVS censor, quando, qui vestes purgaret WANDREGISILI luto aspersas, è cælo palam Ephrebus adstitit, & servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ decem cepit compluria Cœnobîa WANDREGISILVS nobilitavit, unum etiam ipse extruxit Fontinellense dictum, & sub signis monachos CCC. numeravit.